DIE XXVIII. APRILIS.

S. PAULI A CRUCE, CONF.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. praeter seq.

In Hymno Iste Conféssor, ***mutatur tertius versus.***

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui ad mystérium Crucis praedicándum sanctum Paulum singulári charitáte donásti, et per eum novam in Ecclésia famíliam floréscere voluísti: ipsíus nobis intercessióne concéde; ut Passiónem tuam júgiter recoléntes in terris, ejúsdem fructum cónsequi mereámur in coelis. Qui vivis.

In j. Noct. Lect. de Script. occurr. In feria ij. Rogat. vel in Vigil. Ascens. Beátur vir.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Paulus a Cruce Uvádae in Ligúria natus, sed e Castellátio prope Alexandríam nóbili génere oriúndus, qua futúrus esset sanctitáte clarus innótuit miro splendóre qui noctu implévit pariéntis matris cubículum, et insígni angústae coeli Regínae benefício, quae púerum in flumen delápsum a certo naufrágio illaesum erípuit. A primo ratiónis usu Jesu Christi crucifíxi amóre flagrans ejus contemplatióni prolíxius vacáre coepit, et carnem innocentíssimam vigíliis, flagéllis, jejúniis, potu in sexta féria ex acéto cum felle mixto, ac dura quavis castigatióne contérere. Martyrii desidério incénsus, exercítui se adjúnxit, qui Venétiis, ad bellum Turcis inferéndum, comparabátur; cógnita vero inter orándum Dei voluntáte, arma ultro réddidit, praestantióri milítiae óperam datúrus, quae Ecclésiae praesídio esse, aeternámque hóminum salútem procuráre totis víribus niterétur. Revérsus in pátriam, honestíssimis núptiis, sibíque deláta pátrui haereditáte, recusátis, arctiórem iníre sémitam, ac rudi túnica a suo Epíscopo índui vóluit. Tum ejus jussu, ob eminéntem vitae sanctimóniam, et rerum divinárum sciéntiam, nondum clériens domínicum agrum, máximo cum animárum fructu, divíni verbi praedicatióni excóluit.

℞. Honéstum fecit.

Lectio v.

Romam proféctus, theológicis disciplínis rite imbútus, a Summo Pontífice Benedícto Décimo tértio ex obediéntia sacerdótio auctus est. Facta sibi ab eódem potestáte aggregándi sócios, in solitúdinem recéssit Argentárii montis, quo cum beáta Virgo jamprídem invitáverat, veste illi simul osténsa atri colóris, Passiónis Fílii sui insígnibus decoráta, ibíque fundaménta jecit novae Congrega-